



10  
1708 21.

GEORGII ERNESTI STAHLII,  
MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.  
h. t. Facult. DECANI.  
*PROPEMPTICON IN AUGURALE*  
DE  
PRIVATA DISPENSA-  
TIONE MEDICA-  
MENTORUM.

72

GEORGII ERNESTI STAHLII  
MED. DOCT. AC. PUBL. ORDIN.  
DE MENTORUM  
PROBATIONE IN ACADEMIA  
DE  
PRIVATA DISPENSATIONE  
MEDICAE  
MENTORUM





## Quanta sit in tota vita hu-

mana, efficacia USUS, seu *Couſuetudinis diuturnæ*, uti neminem ferè fugere poteſt, ita neque ulli etiam illud multò magis incognitum eſt, quod multa prorfus *longo Uſu* recepta, propterea tamen nihilo minùs, imò verò potius paſſim tantò magis, à vera atque ſolida *utilitate* alieniora exiſtant. Fundamentum hujusrei non ita ſatis profundè abditum eſt, quin paulò circumſpectioribus in ſenſus incurrat, aut certè paulò prudentiùs judicium nequaquam effugere poſſit. Eſt autem nullum aliud, quam *ſpeciei externe* ambiguus nitor, quo res quantælibet de reliquo *utilitatis*, etiam oculis veluti ſe commendant, aut qualemcunque certè *exiſtimationis* ſui ſplendorem oſtendere poſſunt. Abſit, ut tyrannicum USUS dominium, in ſchematibus etiam, & numeroſioribus, & ipſo uſu dignioribus reputatis, prolixè perſequi, & multiplicibus exemplis enumerare, mihi ſumam; Ubi certè univerſæ *Idololatriæ*, à craſſiſſimâ ad ſubtiliſſimam, vix ullus alius certior inveniretur fomes, niſi tralatitius *Uſus*: Ortus æquè, atque ſuſtentionis importuniſſimæ cuiuslibet *Tyrannidis*, nullum certius fulcrum, niſi mali mores jam diutiùs inſoleſcentes, ſeu ipſo *uſu* jam dominantes, [ſicut eam rem non ita prorfus ineptè indicare voluit *Cardanus in Encomio Neronis*] Nedum ut de perditis *Uſibus* in communi vita velur ordinariè è curvo & obliquo rectum, è recto curvum machinantibus efficere, inani philoſophiâ quiritari in animum inducam. Indicabo ſolùm breviter, nequaquam per totam *Medicæ* artis latitudinem, innumeris propemodum modis & objectis, graſſantes inconditos *Uſus*; ſed loquar de uno, nec illo quidem poſtremo aut parvi ponderis, qui nempe circa *Remediorum præparationem atque ſubminiſtrationem*, paſſim hodiè equidem agnoſcitur & arguitur, interim nihilo utique minus, paſſim etiam viget

atque dominatur. Pueris nempe propemodum, tanquam  
è fabellis atque recitatiunculis præcis, solet in scholis ad imi-  
tationem, sed simpliciter Grammaticam, ex *Apophtegmati-*  
*buz* fortè Erasmi Roterodami, proponi historia illa, quæ *se-*  
*nem* memorat, cano capite, in *Theatro Athenis*, ludis so-  
lennibus, seriùs venientem, cum nemo esset, stipatis jam mul-  
titudine sedibus, qui reciperet, & aliis derisui, & inprimis  
adolescentibus ludibrio fuisse, qui non solum passim ad se vo-  
catum, tanquam recepturi, accedentem excluderint: sed et-  
iam totius veluti turbæ approbationem, publico risu coorto  
retulerint. Cum autem passim exagitatum, eò fors deduxisset,  
ubi hospites è *Sparta* adolescentes, spectandi ludicri gra-  
tia, collocati essent, è gentis instituto, quod juvenes senio-  
ribus cum honore assurgere, & de via decedere, docebat, as-  
surgentes, tanquam unus vir, universi, cum honore Virum  
senem ad se receptabant. Viso hoc, sine dubio tota quæ ex-  
spectabatur Comoedia, digniore, & si qui boni fuissent, Di-  
is acceptabiliore spectaculo, saniore virtutis approbatione,  
solennem plausum dante toto populo, Senex: *sciunt Atheni-*  
*enses quid bonum sit, sed facere nolunt, dixisse* perhibetur.  
Sanè verò, nimio melius esset, ut harum rerum Viri potius  
industria, quam pueri memoria, compotes se redderent, imò  
exhiberent: sed hoc est, de quo loquor, quod passim qui-  
dem hodie *multa agnoscantur improba esse, & laudentur*  
*meliora: illa tamen nihilò segnius foveantur, hæc negligan-*  
*tur.* Certè tantum abest, ut multiplex, & omnino verum,  
*commodum*, quod è perita *preparatione* atque *dispensatione*  
idoneorum medicamentorum, ab ipsis Medicis exercenda,  
expectari potest, (ut etiam nihil inter optimi nominis Medi-  
cinæ Practicos atque doctores, sit hodiè solennius, asserto il-  
lo, quod *consulitur* multis modis sit, *Medicos potius ipsos* hæc  
exsequi, quam *pharmacopoliis* adstrictos, horum potius quam  
ægotorum commodis, eo ipso alligari) tralatitium *Usum* con-  
trarium subvertere potuerit, quin potius calidè passim patro-  
cinium ejus ita agitur, ut etiam non sine veris scandalis, præ-  
tex-



textus tales, in utramque partem, è qualicumque vero *Ufu*, in  
fecdem *abusum* mutantur. Placet itaque vera fundamenta  
disceptationis hujus paucis perlustrare, ut inde, quid in rei ve-  
ritate hac de re jam dudum statui potuisset, - - *si mens, &*  
*for.s, non levia fuisset*, tantò evidentius, & sanè simplicius, di-  
gnosci possit. Quod *Ars medendi*, dummodo verè *methodo*  
cognoscendæ atque prosequendæ, invigilet, *paucis* numero,  
neque fortè *magno labore* parandis, *remediis* contenta esse  
possit, argumento est ante omnia, *multorum*, & certè *in petuo-*  
*forum morborum*, *innumeris* exemplis, *resitutio sine omni-*  
*bus externis* adminiculis, *arte* comparandis. Deinde etiam  
illa observatio, quod *magnus* remediorum etiam prolixè lau-  
datorum *numerus*, vix usquam ad *summam* totius morbi suf-  
ficiat, *totum*, inquam morbum, directè & simpliciter subigit  
aut *tollat*: sed ad summum ita solum *leniat* atque *mitiget*, ut  
*decursum* suum, procedentem omnimodo atque tramites su-  
os prosequentem, aliquantò *moderatiùs* absolvat. Disertè  
verò, & nihil neque disimulando, neque tergiversando, fate-  
tur hoc, imò profitetur quasi publicè, notissima *Praxis* vario-  
rum Medicorum modernorum, etiam præcipuè existimatio-  
nis, qui omnes atque singuli non solum de *selectu* medicamen-  
torum, prolixè sermocinantur: sed etiam ipsi, *paucis* omni-  
nò remediis, patientium etiam multiplici numero feliciter  
consulere, gloriantur. Absit autem, ut *Paracelsum*, *Helmon-*  
*tium*, & similes, non paucissimorum solum, sed & summo-  
rum, medicamentorum Poëtas, in suffragium vocemus; nem-  
pe quibus eadem justitià fides negetur, quàm illi sibi eam arro-  
gare audent: Nec testimonio interim ullo, ita à se gestarum  
rerum instructi, idoneo, non domestico, imò proprio: sed et-  
iam nullo in hodiernum diem, inter veros & veraces Practi-  
cos, suffragio potiti. Habemus Virum, aliis in hoc genere tes-  
timoniis ornatisimum, neque quod certè multum est, ab ul-  
lo huc usque alicujus *peritiæ* nomine noto, in hac materia in  
genere ullo modo taxatum, *B. Dan. Ludovici*; qui hoc nego-  
cium, si non absolute primus, *primus* tamen certè *candidè &*

cordatè, in lucem protraxit, quod *maxima* longè *quantitas* ita dictorum *medicamentorum*, vel prorsus *inanis* fit & *inutilis*; vel *minus efficax*, in ordine ad alia ejusdem *genus*: dum interim reverà *pauca* esse possint, quibus Medicus, *dextri* eorum *usus* rectè *peritus*, non acquiescere magis possit, quam fidere. Jam si hæc res ita uti reapse vera est, etiam obiter quasi solum ad animum revocetur; eique insuper adhuc illud, ejusdem certè *evidentis* veritatis, adjungatur, quod etiam in hoc *arctiore* numero, multa adhuc *subiint*, non solum *Euporista*, sed etiam *partim simplicia*, partim valdè *facili* methodo qualiscunque *preparationis*, ad bonum atque commodum *usum* disponenda: & ita quidem, ut tam ipsa *materie* quam *necessaria* tales earum *preparationes*, *exiguum* pretium postulent: imò verò, & quod certè *minimè*, nisi per falsas *simulationes*, aliter sese habet, nec ipse etiam *preparationes*, *verè utilissimorum* quorumlibet talium *remediorum*, vel tantum *laboris*, vel tantum *sumtum* involvant, ut propterea honestè ipsis *ingens* pretium constitui debeat: (Uti quidem aliqua ejus rei exempla fideliter allegavit laudatus *B. Ludovicus*.) Nec etiam, præterea, vera atque verax *methodus*, morbis fideliter medendi, æquè *magnam copiam* *remediorum*, aut assiduam *frequentem* eorundem assumptionem, satis *benè* *serat* aut permittat, nedum ut *efflagitet* aut ullo modo *suadeat*: Fluunt ita certè ex his omnibus *veris* circumstantiis, *due* sequentes, aut certè *alternè* consideratu *maximè* dignæ, *consecutiones*. Nempè, *primò*, quod è tam *paucorum* *medicamentorum* *numero*, & *moderato*, quantumcunque tamen *sufficiente*, *usu* seu *venditione*, unum certum *hominem*, *simpliciter* & *directè* *victum* suum atque *sustentationem* acquirere possit, factu reverà *impossibile*: aut ad *minimum*, *pretium* talium rerum *edusque* intendere *necessitas* postulet, ut omnes omninò *proportiones* quantumcunque etiam *indulgenter* *morales*, licentissimè *transcendant*. Enimverò *negari* non potest, quod in hoc *gene-*

re passim in considerationem trahi consueverit, illud summi Veteratorum apud *Jobum*: *Cuncta que habet homo, dabit pro anima sua*, (seu *vita*, uti vernacula versio, consentiente in primis ipso reliquo contextu, interpretatur.) Nec esset, quod in hac re indignius fieri, quisquam causaretur, si laudata illa *efficacia*, verè & in solidum tanta esset, ut scopo proposito potius quam *supposito*, optimâ fide prorsus *satisfaceret*. Cum autem plerorumque etiam talium remediorum, partim exigua, partim ita anceps, sit *vera* energia, ut, nisi uno quidem loco, *peritissimus usus* seu adhibendi methodus subveniat: altero verò, imò utroque vegeta adhuc ægri *indoles*, præcipuas partes absolvat, vana sit tota talium remediorum energia: Durum profectò propterea videtur, res ita constitutas, & variis respectibus minoris *estimandas*, nempe *incerti veri* effectus, certò ingenti pretio dignari. Cui certè rei, adhuc insuper illud, è meliore omnibus respectibus *moralis* æstimatione, meritò jungendum venit, quod rebus hujusmodi, semel, & publicâ quidem autoritate, constitutum *ingens* hujusmodi *pretium*, iniquum illum certè quolibet intuitu, effectum post sese trahat, ut *pauperes* non solum eandem cum divitibus rationem hic subire cogantur: sed etiam, quod profectò ab honestate alienum semper arbitratus sum, *quantumlibet usus talium rerum ipsis nihil profuerit*, sed non solum *sanitatis* nulla impetaverint solatia, sed *vita* etiam amissa, debitum ab *heredibus* etiam *egenis*, nihilo moderatius exigatur. Hæc quidem singula, ita habenda esse atque servanda, si non solum *pharmacopolia* sustentanda sint, sed, clarius rem eloquendo, *Pharmacopole*, ut artifices quasi doctiores, non *honestius*, ad quod nullo *fastu* opus est, sed *honorabilius* & *splendidius*, sustentari debeant, certum est & indubium. Ubi quidem etiam *B. Ludovici*, non certè per *Imprudentiam* Thema illud tractare aggressus est, de *justa moderatione Taxarum*: quasi scilicet nesciret, quod si *Taxe* ad ipsius, imò veritatis rerum, *consilium*, minuerentur, *Apothecarii* ex illis talibus *proventibus*

tibus, vitam, ne honestè quidem, sustentare possent: sed scitatis totus orbis literatus, quod ipse potius honestissimus Vir illud *indicare* magis quam innuere voluerit, quo *Pharmacopolia*, talia uti sunt, planè *necessaria non esse*, demonstraret. Quis autem nescit, quid in alteram quoque partem dici ut possit, mores seculi perverfi omnimodo perfecterunt. Dari nempe multos quoque, *Medicorum Præticorum* nomen præ se ferentes, qui *præparationis* remedium exercendæ imperiti sint: imò vel amplius, *agendorum* omnino ita ignari, ut, si malè succederet negotium, *fecisse quod non fecerint*, aut *non fecisse quod fecerint*, prætexere possint: Cui rei ita demum rectè consulatur si *prescriptiones* suas in *publicam* officinam transmittere compellantur. Interim, cum certè non solum ad *minimè artis præsumptio*, merito major esse debeat pro *Medico*, quam *modo Pharmacopæo*; tantò magis, cum talium etiam *indocilitatis*, in quantumcunque ipsorum patientiore numero, vix pauciora, quam in magno Medicorum, sint exempla: sed insuper etiam *Medicus*, imperitè, & certè adeò sepius *infeliciter*, praxi imminens, facilius à patientibus negligi possit ac *vitari*, quam officina *pharmaceutica*, cui se non possint subtrahere: præterea *Medicus*, sub utitato qualicumque *Sostro*, & facilius possit moderatam remedio *pretium* statuere, & *pauperibus* etiam, uti *Virum* bonum decet, indulgere: habeatque ejus rei ad minimum non minorem, quam in humanioribus doctrinis atque literis nihil mollicus *Pharmacopæus*, præsumptionem: facile est ex omnibus his rei cumstantis colligere, uti parti magis favent pondera rationum. Claudis autem agmen harum, *arrogantium* certè *præceptos Medicæ* cordate & perite, ab indifferenci vulgi notitia promiscua, tanquam, aliquo jure abscondendum visum, etiam *Viris* non contemnendæ sinceritatis. Indicat hoc, quo est candore, merito iterum laudandus *Ludovicus*; Quid existimationis aut bonæ voluntatis reportaturus sit *Medicus* à *Pharmacopola*, si *pulveris* quidem *concharum* aut *lap. camæronum* aliquot dosibus ægro utiliter consulere, didicerit; quas interim artifex supra nummos aliquot estimare

estimare

mare etiam ipse erubescat: *preparata* verò, & aliqua *laboris* opera, & concurrente qualicunque *impensa*, & *nomenclaturis festuosis*, & *mendacibus* de maxima efficacia pollicitationibus, ad insigne pretium exaltata, propter notam sibi pro suis ægris inutilitatem, præscribere negligat? Quibus universis rebus si jungatur etiam illa, (licet certè non rarò quod vanis prætextibus inserviens, aliquando tamen etiam vera atque fida) quod Medicus bono jure constringi non possit, ut vel *methodum* suam, vel etiam *medicamenta*, specialiore animi applicatione, sibi præ aliis efficaciora comperta, promiscuè omnibus in commune sistat. Faciunt certè hæc omnia, ut tam *proprie præparati*oni, quam *dispensati*oni, longè majore *æquitatis* & *presumptionis* nomine, præficiendus videatur ipse Medicus, quam illiteratu pharmacopœus. Adde ultimū, quod neq; Medicus, verè *debitæ præparati*onis à pharmacopœo factæ, semper infallibiliter certus fieri possit; interim si negotium perperam cesserit, & ipse *existimati*onis, & *æger sanitatis*, imò *vite*, periculum adire: Cum ex adverso, si quid utique Medicus peccat, sincerius ita atque justius, quod quod inde incurrit damnum bonæ existimationis, & ulterioris minoris fiduciæ ægrotorum in ipsum, ita redundet, quàm si illud super alterius inscitia aut negligentia, nihilò segnius subire teneatur. Neque verò, ultimo loco, allegatione justissima indignum est etiam illud incommòdum, quod optimorum quorumlibet Practicorum, è Pharmacopoliis medicamenta præscribendi, fidelis observantia, certissimos producat *spurios artis filios*; *Temerarios* nempe non solum, sed *confidentes* etiam atque *arroantes*, *Empiricos*; jam ex ipsis officinarum patronis, jam è *samulis erraticis*. Dum, quod sub *peritâ methodo*, morbis rectè dijudicatis, atque discretis eorum temporibus, à Medico cordato & perito, adhibitum, laudabili efficacia potiri animadvertunt, illud ipsi posthac *nudâ*, & sæpè sanè *preposterâ* Empiria, sine *rerum* aut *temporum* discrimine, in usum trahere, non solum non erubescunt, sed etiam uno fortè aut altero verè securioris energię remedio ita potiti, hæc ipsa ratione imposterum

[

mor-

mortalibus imponunt, ut, dum unum aliquid affectū sunt, plura, imò *omnia intelligere*, reputentur. Quibus certè omnibus respectibus, tam *prudentiā* aliqua instructus, quam à vanitate *partium studii* alienus quilibet, facillè utique intelligere potest, quid ita sentire sit integrum de *equitate propriæ præparationis atque dispensationis medicamentorum Medicis practicis concedendæ*.

Placuit hæc præmittere publicæ commendationi, quam à nobis expectat

**DN. CHRISTOPHORUS PHILIP-  
PUS SCHMIDT,**


Medicinæ Candidatus dignissimus.

**N**atus hic est Osnaburgi d. 14. Septembris, Anno 1683. Patre Nobilissimo atque Experientissimo Viro, Dn. JOH. GABRIELE SCHMIDIO, Med. D. Civit. & Dioeces. Osnabrugens. Physico ordinario & Practico ibidem doctæ felicitate Celeberrimo: Matre verò, pietate virtutibusque ornatissima, ANNA MARIA BUNTES, Mercatoris quondam Bielsfeldiensis honestissimi filia: Qua verò maturiùs defuncta, Pater secundas nuptias iniiit cum foemina pientissima, MARGARETHA ELISABETHA, Dn. HENR. THOR BECKEN, Negotiatoris & Postarum præfecti Civit. Zwollens. meritissimi, ante hos verò tres menses placidè defuncti, filia. Hi parentes illum, pietate & liberalibus studiis imbuendum, tradiderunt Gymnasii patrii laudatissimi Viris Celeberrimis, utpote Dn. Biermanno, Teltingio, Kornfeldo, Götzio & Ponato, quorum fidelissima manu ductione sufficienter imbutus literis humanioribus, cumque animus ipsius studio Medico faveret, Dn. Parens, privatis in hac arte informationibus, ipsi semper adfuit. Ad altiora itaq; studia præparatus iussu Clarissimorum Parentum An. 1704. Mens. April. Jenam petit, ibique fidelissima infor-

informatione potius est Virorum Celeberrimorum, & quidem in philofophicis ac mathematicis, Doctifs. Dn. HAMBARGERUM, in Medicis, Magnif. WEDELIUM Seniore Materiam medicam, Inftitutiones Medicas, Politiam Medicam, Formularia & Semeiotica tradentem: Celeberrimum Dn. SLEVOGTIUM Botanica & Anatomica proponentem, nec non ipfum quatuor cadavera, utpote tres mafculinos & unum fcemininum, gravidum publicè, difsecantem, Dn. D. CRAUSIUM Facult. Senioremem publicè de methodo medendi generali differentem audivit. Neque minus fideliffimam informationem privatam Viri Integerrimi Dn. JOH. JACOBI FICKII, Med. D. & Practici ibidem fpectatiffimi, fatis depredicare potest, dum partim Phyfica experimentalia, partim Chymica, Physiologica, Pathologica & Formularia doceret, quibus Collegiis fedulo interfuit, in fuper totum ferè tempus, quo Jenæ degit, menfa & habitatione ipfius ufus est. Biennio Jenæ absoluto fuafu Parentum An. 1706. Menf. Maj. Lipfiam fe contulit, ibique Excell. BOHNIUM de Affectibus Puerperarum agentem, neque minus Celeberr. RIVINUM privatim Phyfica Experimentalia, publicè Botanica & Pathologica tradentem auribus percepit. Verum cum mense Septembri ejusd. anni propter irruptionem Suecorum studia ibidem collabafcerent, Academiam noftram Fridericianam confenfu Parentum falutavit, ibiq; manuuctores in Arte Medica habuit Dn. D. HOFFMANNUM Chymica & Pharmaceutica curiofa tradentè: ex ore meo autem percepit tam publicè, Physiologica principia faniora, quam privatim Therapeutica & Practica Clinica; absoluto autem hie anno, juffu Parentum menf. Octobr. 1707. Patriam repetiit, ibidemque per hyemen manuuctione Parentis, Praxin Medicam exercendi, fufficiens ipfi occasio oblata fuit. Præterlapfo autem mense Junio rediit ad noftram Academiam, peritque modeftè, ut ad examina confveta admitteretur, & honores atque jura ac privilegia Doctoralia capefendi poteftas ei concederetur. Non potuimus honefto ejus defiderio re-

fragari, sed fecimus *examinum solitorum* copiam. In his cum se talem probaverit, quem proprio suo studio atque circumspeditioni in exercenda, sub divinis auspiciis, imposteriorum praxi permittere possemus, & optimam penitus spem de exoptatis ejus successibus fovere, aperuimus etiam eidem jure meritoque Cathedram disputatoriam, ad supremum in hoc genere *specimen publicum* solenni more exhibendum. Disputabit itaque proximo, annuente Deo, XVIII. Julii, de ANIMI MORBIS, sub meo Præsidio. Ad quem actum solennem, SERENISSIMUM PRINCIPEM SAXONICUM, debiti honoris gratia, Patronos, Fautores, Proceresque utriusque Reipublicæ, inprimis Pro-Rectorem Academiæ Magnificum, & Professores omnium Facultatum longè celeberrimos, civesque omnium ordinum, pro dignitate atque meritis honoratissimos, quibus par est, obsequiis, officiis, & humanitate, invitamus. P. P. Hal.

Magdeb. XV. Julii, MDCCVIII.





00 A 6419




f  
5b.

29. Sten Handschrift

W18







1708 31

10

GEORGII ERNESTI STAHLII,  
MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.  
h. t. Facult. DECANI,  
*PROPEMPTICON IN AUGURALE*  
DE  
PRIVATA DISPENSA-  
TIONE MEDICA-  
MENTORUM.

10

